

Q. D. B. V.

DE

POLONORUM
CONFŒDERA-
TIONIBUS

PRAESIDE

GOTFRIDO LENGNICH D.

ELOQV. ET PŒS. P. P.

D. XXVI. MAJI MDCCXXXV.

IN AUDITORIO MAXIMO

DISPUTABIT

CAROL. ERNESTVS KETTNER
GEDANENSIS

G E D A N I ,

TYPIS THOMÆ JOHANNIS SCHREIBERI,
SENATUS ET ATHENÆI
TYPOGRAPHI.

Q. D. B. N.

DE

POLONORUM
CONTINERA-
TIONIBUS

PRÆFATIO

GOTFRIDO FRIGENICH D.

1738. E. XXI. 108

FRIGENICH D.

FRIGENICH D.

IN AUDITORIO MAXIMO

DISTRIBUIT

CAROL. ERNESTVS KETNER

GEDANENSIS

GEORGI

SENATUS ET ACADEMIE
TYPOGRAPHI

ILLUSTRISSIMO REVE-
RENDISSIMO EXCEL-
LENTISSIMO

D O M I N O

DN. ANDREÆ

COMITI

IN

Z A Ł U S K I E

Z A Ł U S K I

EPISCOPO

PLOCENSI

DOMINO SUO BENIGNISSIMO

HANC DISSERTATIONEM DICAT

COMITI

IN

SALEUSKIE

GOTFRIDUS LENGNICH.



redebam, *Præsul Reverendis-*
sime, insigne decus, meæ, de
internis Polonorum foederi-
bus, *Dissertationi* accessurum,
si in fronte *Illustre Tuum Nomen* ponerem, & di-

Etis in eadem, fidem majorem conciliatum iri,
 si statim lectores monerem, *Tuo* jussu o-
 pusculum hoc in lucem prodire. Depo-
 scit & sibi *Tua* singularis plane humanitas,
 qva me in clientelam recepisti, aliquem
 cultum, qvod beneficium cum constet plu-
 rimis, hominis ingrati & socordis notam
 vix effugerem, nisi publice testarer, habe-
 ri id a me, ut revera est, in maximis. Ac-
 cedit, qvod *Illustris Tua Domus* merito sibi
 jus in illorum scripta vindicat, qui histo-
 riam aut publicum *Polonæ* gentis jus tra-
 dunt, qvod se *Eidem* debere plurima dif-
 fiteri neqveunt. *Patruus Tuus*, Celsissimus
 qvondam

quondam Princeps & Episcopus Varmi-
 ensis, Idemque Magnus Regni Cancellarius,
 suis epistolis de tota posteritate immortaliter
 meritis, a multis me annis instituit, Is me
 docuit, quæ didicisse non piget & sine Quo
 ignorassem, quæ passim in his paginis leguntur.
 Frater, *Illustris Referendarius*, non uno scripto
 inter Historicos eminet & excellit, cujusque
 eruditio & ardor, Viris in luce versantibus
 rarior, uberrimam sperare jubet messem.
 Ex Eo didici, primum sub Ludovico Rege Rokofz,
 inanem esse fabulam. Tu, *Excellentissime Episcopo*, quantum Tibi sacra & Rei-

publicæ negotia, quantum officia, Tuo Fastigio quasi junctâ, permittunt temporis, Historiæ & Juri Patrio fervas: nec saltem communia hæc studia, sed qui eadem profitentur, foves, amplecteris, ostentas. *Tua* benignitas, se se ad ingenium meum, vix mediocre, submisit, langventem me excitavit, & placere Sibi libellos, coram testari haud dedignata est. Cur non coronarem fontem ex quo hausi? Cur non venerarer, *Cujus* Magnus Patruus quotidie est in manibus, nec, nisi doctiorem,

rem, dimittit; *Cujus* Frater aberrantem
 humanissime reduxit; *Qui Ipse* ad in-
 comparabilem suam gratiam, aditum
 magno animo reclusit. Vides *DOMINE*,
 quam sint unius rei causæ multæ, &
 restant plures. Ignoscas modo temeri-
 tati, levi scripto, quod unum tuum
 exornat nomen, haberi gratiam, neque
 sustinuissem *Tuam* subire Faciem, nisi
 experimento doctus, *Te*, ea quæ offe-
 runtur, offerentium pietate metiri. Et
 hæc quidem in me summa est. Hæc pro
Tua

Tua vita, incolumitate, ac fortuna, quo-
tidie vota facit. Eadem DEO ardenti-
us supplicat, ut ex AUGUSTI TERTII
indulgentia recipias, quæ SECUNDUS
destinaverat, ac orbis litteratus Te sub
AUGUSTO, suum colat ac suspiciat
MAECENATEM.



DE



DE
POLONORUM CONFŒDERATIONIBUS.



§. I.

on alia gens, præter Polonam, ^{Confœderationes Polonis} confœderationes colit. ^{propria.} Cæteris enim, quo continentur, vinculum sufficit; soli Poloni pro diversis rerum ac temporum rationibus, novo fœdere animos Inductum id exemplis, sed fir-

& vires jungunt. matum consuetudine, legis auctoritatem recepit, in primis quod usus probavit, extraordinario hoc remedio, & Principis & Reipublicæ salutem insigniter fuisse curatam.

A

§. II. Mi-

§. II.

Sunt diverso-
rum generum.

Minime tamen omnium confœderationum eadem est natura, non eadem causa, neque idem finis. Dantur Religionis, dantur libertatis, dantur stipendiorum nomine; sunt omnium Ordinum, sunt nonnullorum Palatinatum, sunt Nobilitatis, sunt militum; aliæ mortuo, aliæ vivente Rege; aliæ pro Ejus Majestate, aliæ contra eandem fiunt. De singulis acturi, eo quidem ordine, ne quid, quod scitu necessarium, omittatur, hac tamen brevitate, ne tractatio in volumen excreseat.

§. III.

Confœderatio
Rege mortuo,
etque prima.

Dicitur Kaptur.

Merito initium fit ab Ordinum confœderatione Interregni tempore, quod eadem omnium antiquissima. Prima coaluit post Ludovici mortem a. 1382. qua utraqve Polonia, major & minor, ad obsequium illi ex filiabus, utra in Reginam data fuerit, præstandum, ad jura, ecclesias, earum bona, ac fines Regni tuendos obstringebatur. Exemplum mutui hujus fœderis exhibetur a PRILUSIO in Stat. p. 6. qui ad marginem observat, nominatum illud fuisse *Kaptur*, quod de hujus generis confœderationibus in nostram ætatem servatur vocabulum, quasi velum capitis lugubre diceret, quod orba Rege Respublica, per luctum caput suum obvelasse videtur. Quando autem in *Confœd. Palatinatum Cracov. Sendomir. & Lublensis*, post mortem Stephani, fœdus *Korcinense* sub Vladislao Jagellonide, *Kaptur* appellatur (*),
fa-

(*) Vid. Vol. Constit. R. p. 399.

factum id per errorem, ac si eo tempore Rex in vivis non fuisset. Contra abstinent illo nomine, LASCIO & PRILUSIUS, qui Statutis suis, diu ante hanc Palatinatum confederationem, editis, *Korcinenſe* foedus inseruerunt.

§. IV.

Post confederationem ex Ludovici morte, ducenti fere interceſſerunt anni, dum similis sequeretur. Hoc enim temporis spatio, Successore in promptu, aut nulla, aut admodum breviter interregnaverunt: & licet Casimirus Jagellonides, imperandi ambiguus, ultra annum tergiversaretur delatum Regnum recipere, abstinerunt tamen confederatione Ordines. Extincto autem sine prole Sigismundo Augusto, nec superstite virili superiorum Regum in Polonia stirpe, cum Princeps aliunde petendus, neque brevi tantum negotium confici posse videretur, Ordines publicae tranquillitati, Religioni, electioni liberae, ac caeteris quae e re videbantur esse, a. 1573. in comitiis Varſaviensibus, generali confederatione prospexerunt (*): qualis ex hoc tempore singulis interregnis fieri solet.

Secutae aliae ejus generis confederationes, sed post longum temporis intervallum.

§. V.

Est ergo ejus modi confederatio, mutuum Ordinum interregni tempore foedus, quo sibi securitatem

Quid sit confederatio interregni tempore.

A 2

(*) Vol. Constit. R. p. 208.

Coalescit eadem in comitiis convocationis.

tem religionis nomine, liberam electionem, pacem cum domesticam tum externam, jura salva, judicia integra spondent, tempus & locum electionis, ac alia plurima, quæ tum in Reipublicæ, tum privatorum usum convenire possunt, decernunt. Ut autem foedus hoc omnium Ordinum est, sic non nisi in illorum confessu, hoc est, in comitiis, quæ convocationis nomen habent, coalescit. *Hæc convocatio*, dicebat post mortem Johannis III. Palatinus Siradiensis Joh. Pieniãzek, & confœderatio Regni Ordinum, *indissolubili nexu connectuntur, & unum ab alio, ex natura status hujus Reipublicæ, dissolvi nequit. (*)*

§. VI.

Negve impeditur, licet comitia rumpantur.

Exemplum post R. Johannis III. obitum.

Quid autem de confœderatione fiet, irritis convocationis comitiis? Unum hujus rei in historia Polona exemplum occurrit, cum post Johannis III. mortem, Horodinski, Czernichoviensis Nuncius, qui sexcentis numis imperialibus ad id facinus redemptus dicebatur, convocationis comitia rumperet. Turbati quidem re nova Ordines, non tamen Rempublicam deseruerunt. Fuit enim a Senatoribus in Primatis ædibus scripta confœderatio, ac publice, equestri ordine præsentate, a Cancellario Primatis lecta, quod Nunciorum Mareſchallus, cujus jus erat, cessante, ut loquimur, activitate sua, munus hoc detrectaverat. Antea tamen memoratus modo Palatinus Siradiensis, gravi sermone, capita, quibus constare deberet confœ-

(*) Vid. Celsiff. quondam Princ. & Episcopi Varm. Zaluski Epist. T. II. p. 119.

fœderatio, in medium protulerat, scilicet, „ ut futu-
 „ rus Regnans nemine contradicente eligeretur;
 „ tempus electionis constitueretur; in comitiolis pri-
 „ vatis Palatinatum Terrarumqve, promerita mili-
 „ tibus stipendia decernerentur; modusqve dissol-
 „ vendæ quam primum confœderationis militaris
 „ iniretur; & Piaſtus in numerum candidatorum
 „ haud admitteretur, „. Simul monuerat, ne quid
 infereretur, quod equeſtris ordinis auctoritatem
 tangeret (*). Repetitis ergo, præter alia, quæ
 ad liberam electionem, pacem inter Diffidentes
 de religione, ac publicam tranquillitatem facerent,
 ex prioribus confœderationibus, dies electioni assi-
 gnatus, ac nominati qui cum milite confœderato
 agerent: cætera aut ad particulares Palatinatum
 conventus, aut ad electionis comitia dilata fuerunt.
 Subſcripſerunt confœderationi, tum Senatores, tum,
 Palatinatu Cracoviensi excepto, equites, Joſepho Po-
 tocio Capiteo Haliciensi, fruſtra fœderi contradi-
 cente. Unde patet, poſſe confœderationem, & ruptis
 convocationis comitiis, fieri, quod non aliud, niſi
 hoc, ſervandi in ſua orbitate Rempublicam ſuppedit
 remedium; neque ipſum fœdus contradictione irri-
 tum reddi, cum id habeat præ comitiis confœdera-
 tio, & nonnullorum diſſenſione, reddi validam.
 Quare juſto argumento deſtituebantur, qui in comi-
 tiis electionis Regiæ allegabant, juſ vetandi in con-
 vocatione læſum fuiſſe.

(*) Epist. Zalusk. l. c. p. 121.

§. VII.

Confœderationes tempore interregni Rege electo.

Dantur aliæ, pariter generales, durante adhuc interregno, Rege jam electo, confœderationes, quales sæculo XVI, Andreioviensis & Vislicensis memorantur: illa pro Stephani, hæc pro Sigismundi III. electione firmanda ac tuenda. Et licet prior in Vol. Constit. p. 239. confirmatio electionis Stephani in Regem Poloniæ, & scita ejus p. 235. Constitutio conventus generalis Regni Andrzejov. inscribantur, expresse tamen p. 262. Confœderatio Andrejoviensis (Confederacya Andrzejowska) vocatur. Posterior in eodem volumine p. 438. congressus pro confirmatione electionis (poparcie) titulum præfert. Utraque ab Ordinibus in Sendomiriensi confœderatione, Tysfovecensi & Golembiensi fœderibus, quamvis modo diversis, jungitur. Amplior est confœderatio quæ nuper post AUGUSTI III, Regis ac Domini clementissimi, electionem, stetit, eo fine, ut Religio, Principis Majestas, Gentis Poloniæ libertas ac jura, salva & illibata serventur, ac intestino ex discordia malo medicina paretur.

§. VIII.

Confœderationes particulares, in volumine legum obviæ.

Præter has generales Interregni tempore confœderationes, occurrunt in volumine legum & particulares: scilicet post mortem Sigismundi Augusti, eorum, qui ex minori Polonia Cracoviam confluxerant, ut & alia minoris Poloniæ, post Stephani obitum: tum singulorum Palatinatum, Cracoviensis & Sendomiriensis, quarumque aliæ præcesserunt, aliæ generalem confœderationem secutæ, eo potissimum fine, ut publica tranquillitas quam maxime firmaretur. Hujus

Jus generis Palatinatum & Terrarum confœderationes, interregni tempore plurimæ fieri solent, quas generalis confœderatio ratas habet, si juribus Reipublicæ non adversæ fuerint. Sed has merito omittimus.

§. IX.

Progredimur ad confœderationes sub Regibus: Confœderationes generales sub Regibus.
 quæ sunt vel omnium, vel unius ordinis, vel nonnullorum Palatinatum, vel deniqve militum. Primi generis princeps est *Korcynensis*, a. 1438. Vladislao Jagellonide regnante, quæ Ordines, salvis juribus Ducalibus & terrestribus, adversus turbatores, & falsæ religioni addictos, hæretici vulgo dicuntur, animos & vires jungunt. Fœderis exemplum habetur in *LASCONIS Statutis f. 76. ex quo PRIIUSIUS p. 171. illud repetit: quod post mortem Sigismundi Augusti, iis qui ex minore Polonia Cracoviæ consultabant, adeo placuit, ut norma esset: nec minus post Stephani obitum, capite saltem, quod de hæreticis agit, excepto; quia mutua inter dissidentes de Religione pace, aliter provisum fuerat. (*)*

Primum exemplum in *Korcynensi.*

§. X.

Majoris tamen momenti est *Tyszovecensis* confœderatio, a loco, ubi a. 1655. cœpit, hoc nomine appellata. Confœderatio Tyszovecensis. Erat eo tempore misera Reipublicæ facies, cum Rege quasi exule, Princeps externus, Regnum gravi servitute premeret, omniaque ad victoriæ leges referret. Unus ad avitam libertatem superesse videbatur reditus, si, quod blandioribus verbis magnisque promissis impositum, jugum armis excuteretur. In hunc finem, pro Religione, Rege & juribus, adversus hostem, qui sacra & profana turbarat

(*) Vol. Const. p. 207. & 399.

verat, in initum fœdus (*), cui omnes accedebant, qui salvam volebant patriam. Tyszovecensem a. 1672. Golembiensis excepit confœderatio, adversus eos, qui Regem majestate sua exuere, ac Rempublicam satis afflictam, majoribus turbis involvere velle, suspitione laborabant: unde ad defensionem, *utimur verbis fœderatorum*, „ S. fidei Romano-Catholicæ, „ ultionem profanatarum ecclesiarum, & conculcatorum sacramentorum, roborationem electionis „ Regis, reparationem jurium & libertatum, representationem tam externarum quam domesticarum factionum, de expresso Regiæ Majestatis consensu, „ Ordines novo constringebantur vinculo (**).

§. XI.

Sandomirien-
sis & Tarnogrodien-
sis
confœderatio.

Non ullo tempore tantum adierat discrimen, Majestas, & cum Majestate ipsa libertas Polona, quantum regnante, immortalis per divinas virtutes memoriæ, AUGUSTO II. imminerebat. Eo enim processerat nonnullorum prava libido, ut Regem, Rempublicam, leges, ac quæ illis debebant, hostis arbitrio posthaberent, & ad ejus imperium, Principe abdicato, novam electionem molirentur. Non latebant illa consilia, imo pars illorum jam erat patrata, cum Ordines per confœderationem *Sandomiriæ* a. 1704. in initum, majori malo, quod metuebatur, obviam

(*) Hujus fœderis litteræ exhibentur Epist. Zalusk. T. III. p. 767. & seq. add. Kochov. Annal. Clim. II. p. 98. & seq.

(**) Epist. Zal. T. I. p. 406.

viam ire conarentur. Detestabantur enim ea quæ contra Principis dignitatem essent acta, ac Religionem, jura, Regem, tueri ac defendere sibi invicem spondebant; electioni novi Regis gravissime intercedebant; eumque qui hanc sibi dignitatem conferri passus fuerit, hostem patriæ &c. declarabant (*). Secuta a. 1715. Tarnogrodiensis confœderatio, pro Rege, libertate & legibus, contra auxiliarem militem Saxonicum, quod is Reipublicæ gravis, ac Rex eodem carere posse videbatur.

§. XII.

Memoratas modo generales confœderationes paulo accuratius inspicere juvat. Et statim sese offert earum utilitas, quæ ex fine quem sibi statuunt, ac in singulis recensuimus, constare potest. Per eas enim interregni tempore firmatur animorum consensus, arcetur turbæ, servantur jura, exercentur judicia, cætera quæ salutaria curantur: cum sine iis, in illa orbitate, miscerentur omnia, ut forte jam de tota actum esset Republica. Nec obstat *Piaſteorum & Jagellonidarum* ætas, quæ sine confœderationibus, post *Ducum & Regum* mortes, *Polonorum* imperium incolume stetit. Diversa enim tunc erant tempora. Non diu quærendus aut expectandus novus Princeps, sed statim filius, aut frater, aut propinquus alius succedebat, & quæ in annalibus eorū temporū occurrunt electiones, si cum hodiernis conferantur, simulacra potius electionū quam electiones habendæ. Præterea, non adeo laxa,

Qui ex confœderationibus fructus.

B

ac

(*) Konfederacya Generalna pod Sandomierzem p. 6.

ac hodie gentis erat libertas, quæ ut sunt hominum ingenia, facile in licentiam vertitur. Denique minor suppetebat factionum copia, ut singulari fœdere tanquam idoneo remedio occurrendum esset. Par confœderationum sub Regibus usus. Per *Tyffobecensem* enim Johannes Casimirus Regno redditus; cives qui signa hostis sequebantur, ad legitima obsequia revocati; ac junctis in unum viribus, propulsatum bellum, quod spectantibus quasi Polonis, victor libere circumtulera. *Golembiensis* sustulit internam dissensionem, effecitque ut arma, quæ cives formidabant, in unum Christiani nominis hostem moverentur. Quid *Sandomiriensi* debeamus, illi norunt, qui publicum felicitatem intelligunt. Ea enim regimen Augusto II. servavit, libertatem asseruit, concordiam & pacem reddidit, ac longæ graviqve calamitati lætum finem imposuit. *Tarnogrodensis* suis opibus Principis Majestatem tueri, ne aliunde subsidia arcefferentur, simul milite Saxonico Republicam exsolvere constituit. Fructus ejus patet ex pactione & constitutionibus, quæ eam secutæ, sublatis iis quæ molesta erant, ac aliis melius ordinatis. Præfens, quæ viget, confœderatio, non nisi salutaris Republicæ esse potest, quod eo consilio coaluit, ut, quos diversus affectus a Rege amovit, reducantur, ac intestinum ex discordia malum, ipso bello gravius, plane tollatur.

§. XIII.

Excusantur,
si quæ sub illis
minus recte
siant.

Minime quidem diffitemur, confœderationis
tempore, haud omnia ita innocenter fieri, ut æquiva-
tatis

tatis regulā perpetuo sustineant. Audiuntur enim frequentes, de cæde, expilatione, imperatis privatim tributis, & aliis perperam & violenter actis querelæ. Non tamen hæ confœderationis injuriæ, sed fœderatorum, qvi sæpe dum publicam obtendunt, suam rem curant, & in turbido, ut loquimur, piscantur. Si vero ex ipsa confœderatione aliquod malum, erit ad parandum majus commodum necessarium, non secus ac medicina, quæ valetudinem non sine dolore, sumtu ac temporis dispendio reddit.

§. XIV.

Dictum supra, confœderationes interregni tempore, & quidem quæ electionem præcedunt, in comitiis fieri; aliter sentiendum de iis, quæ sub Regibus instituuntur, quod illæ plerumquæ, extra comitia coalescere solent. *Korcynensis* quidem in generali conventu, aut parlamento, ut litteræ apud LASCONEM f. 76. loquuntur; *Tyssovecensis* vero cum *Tyssovecios*, exercitus, Senatores nonnulli, plurimiq; ex equestri ordine, ultro confluerent, quorum exemplum ad cæteros transiit. *Golembiensis* a Nobilitate in expeditionem bellicam excita cœpit, quam Proceres & miles secuti. Orta *Sendomiriensis*, postquam more extraordinario, Ordines Sendomiriam confluerent, Palatinatu illius nominis suo exemplo præeunte. Neque *Tarnogrodiensem* suum initium Comitibus debere, inter omnes constat.

§. XV.

Quæ Rege mortuo fiunt confœderationes, du-
Quando & quo modo fi-
niant.

rant per totum interregnum, quod cum coronatione novi Principis finitur: præfens tamen excipitur, quam Rege coronato prorogare, publica salus depoposcit. Factæ sub Regibus, dum id, propter quod cœperunt, consecutæ sibi videntur, desinunt: quo modo *Tyffovecensis* cessavit. Possunt & in comitia converti & per ea simul tolli, quod *Golembiensi* evenit (*). *Sendomiariensem*, pacificatio, quæ *Tarnogrodiensem* confœderationem a. 1716. excepit, dissolvit (**): & hæc ipsa *Tarnogrodiensis* per eandem pacificationem finem suum fortita (***) , quæ constitutionibus comitiorum, statim post eandem habitorem, inserta legitur.

§. XVI.

Penes fœderatos est Respublica.

Juncti ita per confœderationem Ordines, non sunt diversi; sed iidem qui ante & extra confœderationem, modo arctius & in certam rem, ac si eas, quæ electionem præcedunt, excipias, pro & cum Rege suo, constructi. Sistent ergo ut alias Rempublicam, secus aut nulla, aut alibi esset. Prius haud temere quis affirmabit. Si enim exspirasset per confœderationem, jaceret sine spe *resurrectionis*, & nox, ut Poetæ in re seria verbis utamur, esset per petuo una dormienda. Quod si alibi ea tempestate ageret, ostendendus ille angulus, detegendæ latebræ, in quas se abderit. Sed forte ad Tattaros ac Turcos fugit; forte se illorum credidit tutelæ, qui Principem & liberatem oppu-

(*) Constit. a. 1673. p. 1. 2.

(**) Vid. art. 9. illius pacificationis, in Constit. a. 1717.

p. 41.

(***) Art. 3. §. 1. Constit. a. 1717. p. 15.

oppugnant. Nunquam ad eas angustias redacta fuit Respublica, ut e Regno fugeret, neque sui adeo oblita, ut se patriæ hostibus permetteret. Jacuit interdum, & a sua sobole pressa: at surrexit fortior, viribus quæ vasto corpore sparsæ, per confœderationem in unum contractis. Recte igitur fœderati, tum Status Regni & Magni Ducatus Litvaniæ confœderati, tum Respublica confœderata dicuntur. Durante *Tarnogrodienſi* confœderatione, in *plenipotencia*, ut vocatur, *Statuum*, ipsi se, *Status Regni & M. D. Litvaniæ*, circa tuitionem *Sac. R. Majestatis & c.* confœderatos, nominant, & Rex in suo ad agendum de reddenda tranquillitate mandato, *confœderatos Respublica status, Regni & M. D. Litvaniæ* appellat. In plenipotencia ut illud vocabulum retineamus, exercitus Regni, ordines fœderati, modo *Respublica*, modo *confœderata Respublica* audiunt: qui loquendi modus, in plenipotencia exercitus Litvani servatur (*). In *roboratione confœder. Sendomiriensis* Status Reipublicæ confœderatæ leguntur (**): plura testimonia omittimus.

§. XVII.

Confœderata hæc Respublica non est alia, quam quæ extra confœderationem: inde eadem vis & potestas, modo, quo eadem exercetur, aliquantum diverso. Et interregni quidem tempore, belli ac pacis negotia ordinat; leges sancit; electioni, ac comitiis conventibusque minoribus, qui eam præcedunt, Quæ illorum potestas.

B 3

diem

(*) Constit. a. 1717. p. 48. 49.

(**) Epist. Zalusk. T. III. p. 801.

diem statuit; legatos ad exteros mittit, exterorum recipit; & quo de majestate planius constet, *Serenissima* titulo colitur. Hoc saltem observatur discrimen, quod quæ in convocationis & electionis comitiis decernuntur, non ut alias *constitutionum*, sed *confœderationis* (*), & *ordinationis* (**) nomine veniunt. Quid vivente Rege confœderationes possint, exempla probant. *Tyssovecensis* dedit suis delegatis facultatem, „ cunctos exorbitantes, juriqve communi & vinculo non parentes, nec non quomodo-
 „ cunqve excessivos definitive judicandi; præterea
 „ omnibus periculis Reipublicæ occurrendi; simulta-
 „ neeqve consilia de illis habendi; legationes expe-
 „ diendi & suscipiendi; confidentiam cum Principi-
 „ bus exteris ineundi; conjunctiones armorum de-
 „ clarandi; pacta & fœdera concludendi; pecunias
 „ ad usum publicum contrahendi; omnibus Reipubl.
 „ necessitatibus prospiciendi; & quidquid in rem &
 „ bonum Reipublicæ & conservationem status profi-
 „ cum fuerit, faciendi & exequendi: quorum acto-
 „ rum non nisi soli DEo reddituri sint rationem, (†).
Golembiensis edixit generalem expeditionem; judicia penes Regem civilia & criminalia constituit; Primatam tanquam omnium malorum auctorem dignitate sua exuit; in ejus affectas pœnam decrevit; militiam hastatam restituit; congressum generalem, ac conventus in Palatinatibus indixit; exercitum au-
 xit.

(*) Konfederacya generalna.

(**) Porządek na Seymie walnym elekcyey.

(†) Epist. Żalusk. T. III. p. 769.

xit &c. (†). *Sendomiriensis*, sibi adversos, hostes patriæ judicat; ordinem equestrem ad propulsandum bellum evocat; exercitus ad inferenda arma hortatur; stipendia militi prospicit; fœdera cum externis Principibus jungendi facultatem concedit; denique Primatem, Episcopum Posnaniensem cæterosque illius factionis, veluti perduelles & Majestatis reos, dignitatibus suis exuit, aliasque in eos pœnas decernit.

§. XVIII.

In Confœderationibus, hæc est consultationum ratio. Interregni tempore de Republica in Comitibus agitur, extra eadem, cura negotiorum, Primati ac consilio, ex Senatoribus & equestri ordine constituto, committitur. Rege imperante, statim dum initur confœderatio, Mareschallus, ut vocant, eligi solet. Habent quidem & interregna Mareschallum, imo Mareschallos, non tamen sunt illi confœderationis, sed equestris ordinis, in convocationis & electionis comitiis, Mareschalli: neque majori gaudent auctoritate, quam qui promiscue in comitiis nobilitati præsident. Inde non unus per totam interregni confœderationem, est Mareschallus, sed qui fuit in convocatione, desinit esse in electionis comitiis, traditque scipionem illi, quem suffragia esse voluerunt. Imo & sub Regibus, confœderationis, Mareschallo destitutæ, occurrit exemplum. In *Tysovecensi*, exercitus Regni Ducibus in junctum, ut consiliis

Ratio consultandi interregni tempore.

Mareschallus confœderationis. Non datur sub Interregno, sed saltem Rege imperante.

Sub Hoc confœderationis exemplum sine Mareschallo.

(†) Epist. Zalusk. T. I. p. 408.

filiis præessent, & si alter, illorum præfederit, sententia ejus pro duabus haberetur, haud secus ac si ambo adfuissent. Quæ tamen hanc secutæ, suos habere Mareschallos, quod & de præsentem tenendum, licet interregno nondum finito, cœperit.

§. XIX.

Mareschalli ex
equestri ordi-
ne, eorumque
nomina.

Mareschalli non ex Senatorio, sed equestri ordine leguntur. In *Golembiensi* id honoris obtinuit Stephan. Czarniecki, Notarius campestris Regni; in *Sandomiriensi* Stanislaus Denhof, venator Litvaniæ; in *Tarnogrodiensi* Stan. Ledockowski Succamerarius Krzemienicensis; & præsentem hoc titulo dirigit, Illustriss. Poninski, Regni Instigator, in signe & inter eruditos nomen.

§. XX.

Munus Mareschalli.

Ejus securitati providetur.

Munus Mareschalli est, consultationibus præesse; Regio lateri, in quantum id negotia postuleant, hære; confœderationis primariam curam gerere; quæ fieri debeant aut scire omnium interficere; litteras confœderationis suo nomine signare; ac quæ sigillatim commissa, ex fœderis mente confœderationi ante ipsos Senatores primus subscribere nomen solet. Habent & ejus singularem curam fœderati, dum eundem facultatum suarum, honoris ac vitæ securum reddunt, ac tueri omni modo appro- mittunt, si a quoquam propter navatam confœderationi

tioni operam impeteretur. Cujus rei testes, inprimis *Golembiensem*, *Sendomiriensem* & præsentem confederationem producimus. Nec minus ejus studium, sumtus, jactura quam fecit, compensantur. Inde Stanislaο Denhof, in Consilio Grodnensi, quotannis sexaginta millia florenorum, per omne confederationis tempus, ex Republicæ proventibus assignata (*). Stanisl. Ledochowski, finita Tarnogrodensi confederatione, in Comitibus anni 1717, trecenties mille floreni decreti (**). Illustrissimo Poninski, Ordines centum millia florenorum constituerunt, luculentius præmium ex singulari Principis indulgentia sperare jubentes.

Præmium pro
opera & sum-
tibus.

§. XXI.

Mareschallo consilium ex equestri ordine ut & Secretarius additur. Confœderatio *Tyssovecensis*, præter eos, quos statim nominavit, permisit Palatinatibus, ut singuli unum eligerent, qui inter consultantes locum haberet. Per *Golembiensem* constituti, qui cum Mareschallo initi fœderis curam agerent, & præterea Nobilitati concessa facultas, legendi suos, tum ad judicia, tum ad consilium, quod Varsoviæ indictum fuerat. Neque *Sendomiriensis* in hoc Mareschallum suum destituit. Illustriss. Poninski ex majore & minore Polonia, itemque ex Litvania, octoni in consilium juncti, ex quibus Burggravio Cra-

Consiliarii
additi.

C

co-

(*) Epistol. Zalusk. T. III. p. 757.

(**) Constit. dicti anni p. 72. tit. gratitudo zaslug.

Ut & unus ab
epistolis,

Consiliarii si-
mul in comi-
tiis pro nun-
ciis habendi,

Generalis
confœderatio-
nis Mareschal-
lus, & particu-
larium confœ-
derationum,
Mareschalli,
Mareschallus
equestris ordi-
nis, & nuncii
in Comitiiis.

coviensi, Magnif. Johanni Freser, munus, ut vulgo dicitur, Secretarii mandatum est, triginta sex millibus florenorum in honorarium constitutis. Præter impensas ex Reipubl. ac Regiis redditibus recipiendas, consiliarios hos una cum Secretario, Regiæ clementiæ commendaturos, omnemq̃ ipsis ac eorum bonis securitatem præstituros, Ordines polliciti. Hoc singulare, datum his consiliariis jus sententias suas, in coronationis quæ seqvebantur comitiis, inter Nuntios dicendi, quasi ab equestri ordine eam in rem ablegati essent. Majoris tamen erat momenti, habita fuisse post Tarnogrodensem confœderationem comitia, in quibus Mareschallus confœderationis, Nuntiorum Mareschalli, minores vero confœderationis Mareschalli & consiliarii, Nuntiorum terrestrium vices explerent (*).

§. XXII.

Consilia
magna.

Præter Mareschalli cum delegatis consultationes, dantur & consilia magna, ad quæ Senatores, & nobilitatis nomine plurimi confluunt, ipso Rege præsentente. Quæ Varaviae haberi *Golembiensis* confœderatio voluit, quæ simul particulares in Palatinatibus conventus, pro eligendis Nunciis, indixit. Sub confœderatione *Sendomiriensi*, ejus generis consilia, Grodnæ, Thorunii & Varaviae celebrata, & vigente præsentente confœderatione, aliud itidem Varaviae, in Regni salutem nuper peractum. Fuit tamen Varaviense anni 1710. cæteris illustrius, nomenq̃

(*) Tract. Pacific. in Constit. a. 1717. p. 16. §. 3.

menque conventus generalis pro confirmatione confœderationis Sandomiriensis (Poparcie generalney Sandomirskoy confederacyey) recepit.

§. XXIII.

De ejus modi Consilio, edixit *Golembiensis* confœderatio, ut fieret sine omnibus *solemnitatibus*, in camera nunciorum, confidendo in præsentia Regiæ Majestatis (*). Nulla ergo Mareschalli electio, quod confœderationis adest; non diversa conclavia; non eorundem conjunctio; non alia, quæ in comitiis servare religio est, & sine quibus ipsa comitia irrita redduntur. Sistit formam consilium magnum *Grodneuse* a. 1705. frequenti admodum Senatu & nobilitate, ut vix major numerus ad comitia confluere soleat, habitum. Ingressus illud oratione Mareschallus confœderationis; secuta Regis nomine deliberationis capita, ore Procancellarii prolata; auditi exercituum Regni & M. D. Litvaniæ delegati; dictæ a Senatu & equestri ordine sententiæ; acta & alia, tandemque decreta, consultationibus quæ in tertiam hebdomadem durarunt, finem imposuerunt (**).

Quomodo habeantur.

§. XXIV.

Illud merito præcipuum, exulare tum *liberum veto*, notum in Polonia jus, quo unus intercedendo, cæterorum sistere valet consilia, imo & ea infecta reddere,

Exulat liberum veto.

C 2

dere,

(*) Epist. Zalusk. T. I. p. 410.

(**) Epist. Zalusk. T. III. g. 748. 759.

dere, quæ ante placuerunt. In *Tyffobecensi* confœderatione provisum, ut cuncta consilia pluralitate sententiarum definiantur. *Golembiensis* sanxit, „quod
 „futurum consilium, nullus deputatorum uti & per-
 „sonarum cujuscunque prærogativæ, rumpere pote-
 „rit, quicumque vero id facere tentaverit, ipso facto
 „pro hoste patriæ reputabitur nec protestatio ejus
 „valebit: quod tamen pro hac sola vice intelli-
 „gendum, non derogando in posterum liberæ voci,
 „nec in sequelam trahendo, post solutum nexum con-
 „fœderationis,„. Quod & subsequentiis confœde-
 rationibus servatum.

§. XXV.

Sunt quasi co-
 mitia minus
 solennia,

Possunt illa consilia, comitia minus solennia di-
 ci. Adest tota Respublica, Rex, Senatores, Nobili-
 tas; agitur de rebus maximi momenti, quæ univer-
 sum Regnum, omniumque salutem tangunt; neque
 tantum consultationes instituuntur, sed & decreta fi-
 unt. Audiamus gravissimum testem, Celsiss. quon-
 dam Principem & Præsulem Varmiensem, ZALU-
 SKI. „Ne Rex sit sine consilio, destinavit confœ-
 „deratio, ultra Ministros Status & Senatores ad la-
 „tus Regis manentes, tot & tantos ex equestri ordi-
 „ne deputatos, quos sibi in comitiolis a Rege extra-
 „ditis, quilibet Palatinatus & districtus eligere
 „debebat, qui pro lubitu Regis ad locum & tempus
 „a S. M. destinatum convenirent, & jus tractan-
 „di omnes materias status, concludendiq; omnia ha-
 „berent (*),„. Ideo autem minus solennia vocari me-
 rentur,

(*) Epist. Zalufki T. III. p. 364.

rentur, quod ritus comitorum, ut §. 23. monuimus, omittuntur. Cæterum potest consilium jam cœptum, ab iis ipsis qui interfunt, in comitia verti; cujus rei exemplum *Golembiensis* confœderatio a. 1673. dedit, supra a nobis allegatum.

Possunt in comitia verti.

§. XXVI.

Neque confœderationi adversum, præter consilia, & comitia celebrare, quæ indicturum se, manente Sandomiriensi confœderatione, Rex in congressu Varfaviensi a. 1710. promisit (*). Præstitit id Regia Majestas a. 1712. Mareschallo confœderationis Denhof, titulo Mareschalli equestris ordinis, nunciorum conclave dirigente. Prorogata hæc comitia, novo plane exemplo, ad diem 31. Decembris ejusdem anni, sub eodem Mareschallo, iisdemque nunciis finienda (**): quæ contradictione rupta fuerunt.

Licetum est durante confœderatione comitia celebrare.

§. XXVII.

Ut autem eo religiosius ferventur confœderationes, solet in easdem jurari, verbis ex mente ac fine earum conceptis: aliis tamen Mareschallus, aliis Senatores, aliis equestris ordo obstringitur, solentque eadem confœderationibus adscribi. In *Golembiensis* & *Sandomiriensi* confœderatione, Reges Ipsi sacramentum

Jusjurandum in confœderationibus.

C 3

dixe-

(*) Poparcie general. Sandomirskiey Confederacyey p. 77. tit. Reces.

(**) Constit. a. 1712. p. 9. tit. Odfozenie Seymu.

Nulla in confœderationib., interregni tempore, sacramenta.

Præsens tamen confœderatio excipitur.

dixerunt. Tyssovecensi aliud Ducum, aliud *Commissariorum*, aliud exercitus & concivium jusjurandum insertum legitur. Intelligendum tamen hoc de confœderationibus Principe regnante. Quæ per interreguum fiunt sacramento firmari haud solent, nisi forte unum alterumque ex iisdem caput: quæ exemplum ultima convocationis comitia exhibent, quæ liberam electionem, ad solius Poloni electionem redigendo, novam rem jurisjurandi religione firmabant: plurimis tamen ad veterem morem provocantibus, quorum contradictiones, additæ confœderationi subscriptiones loquuntur. Sola præsens confœderatio, ante finem interregni inita, diversas jurisjurandi formas pro Mareschallo, Consiliariis, Secretario, ac iis qui tum ex Senatorio tum equestri ordine, ad judicia confœderationis lecti, præscripsit.

§. XXVIII.

Nominum adscriptio.

Confœderationibus adscribunt sua nomina Ordines, & quidem interregni tempore, in convocationis, ubi fiunt, comitiis; Senatores primi, quilibet suo loco, post hos equestris ordinis Mareschallus, quem nobilitatis nuncii excipiunt. Quod dum fit, solet simul aut contradictio, si quæ in confœderatione displicent, aut exceptio, ne aliis ea detrimento sint, adjici. Extra interregnum, primus suum nomen scribit Mareschallus confœderationis, ut §. 20. innuimus, post hunc Senatores, denique ordo equestris. Neque contradicitur iis quæ confœderatio continet, sed juribus saltem prospicitur. Obiter notamus, Aucto-

Auctorem *Commentar. de nuperis mutationibus Poloniae* (*) imminuisse numerum Senatorum, qui statim Sandomiriensi confœderationi subscripserunt, dum p. 171. eorum tantum unum & viginti memorat, cum tamen exemplum confœderationis, uti iudicio castrensi Sandomiriensi oblatum est, undequadraginta exhibeat. Pariter longe plures ex equestri ordine leguntur, quam dictus Auctor recenset.

§. XXIX.

Solenni jurejurando, & adscriptione nominum firmatam confœderationem, Ordines pro sancta habent. *Tyffovecensis*, congressus moliminaque sibi adversa, interdicit, & vinculo non parentes, sine provocatione judicandi facultatem concedit (**). *Golembiensis* „ omnes protestationes jam factas, aut quæ
 „ fieri debeant, contra vinculum suum cassat, annihilat, & pro nullis ac pro eliminatis declarat, in
 „ quibuscunque actis sive terrestribus, sive castrensi-
 „ bus, in quovis subsellio & iudicio tam sæculari quam
 „ spiritali oblatae fuerint & susceptae, tam protestan-
 „ tem quam offerentem & suscipientem, hostes patriæ declarat (†). „ Eadem iterum, „ quicunque
 „ præsens, nostrum constitutum contemnens, circum-
 „ culum nostrum interruptione sermonum vel alio
 „ modo turbare voluerit, talem severis subjecturos
 „ nos

Pœnæ in eos
 qui confœderationibus ad-
 versantur.

(*) *Memoires sur les dernieres revolutions de la Pologne.*

(**) *Epist. Zalufki T. III. p. 769.*

(†) *Epist. Zal. T. I. p. 407.*

,, nos pœnis fraterne nobis appromittimus (*),, Et *Sandomiriensis*, eos qui diversa consilia agitari, partesque hostium firmaturi, ut & medios omnes, nisi intra quatuor hebdomades accesserint, patriæ hostes, honore & bonis multandos, judicat (**).

§. XXX.

Confœderatio
equestris ordi-
nis, quæ Ro-
kosz appella-
tur.

Quid illo vo-
cabulo note-
tur.

Tantum de omnium Ordinum confœderatio-
nibus. Unius ordinis dicuntur, quando Nobilitas,
pro libertate, adversus Regem & Senatores, arctiori
vinculo constringitur. Vocatur hoc fœdus suo no-
mine *Rokosz*, cujus verbi, inquit PIASECIUS (***)
*genuinum etymon vix dari potest, sed sonat terminum sta-
to tempore controversendi, & est symbolum in ista gente
(Polona) usitatum, quo universi Nobiles genere, ad con-
surgendum contra Regem & Senatum, pro vindicandis liber-
tatibus suis convocantur. Idem alio loco (†) de eo-
dem vocabulo: est gentis tessera, qua audita, omnis qui
censetur juris & status nobilis, licet sit alligatus obsequio ali-
cujus Principis vel Nobilis, relicto eo, ad communem con-
currentis Nobilitatis cœtum venire, pœnis gravioribus obli-
gatur. Hungaricam esse vocem confirmat LUBIEN-
SCIUS (††) qui alia loco (†††) fatetur, se ne-
scire, cur equestris ordinis secessio fatale hoc nomen
fortita sit.*

§. XXXI.

(*) Epist. Zaluski l. c. p. 410.

(**) Konfed. Sandom. p. 7. §. Ktobykolwieck.

(***) In Chron. initio anni 1606.

(†) p. 58. edit. Amstel.

(††) Operum p. 68.

(†††) Operum p. 293.

§. XXXI.

Minus frequentia hujus generis fœdera in gente Polona occurrunt: imo si rite calculus ponitur; si expenduntur, quæ illa sibi deposcunt; si horum instituitur deligens collatio, cum iis quæ nomine *Rokosz* vulgo venditantur, forte erunt nulla. Quidam recentiorum Scriptorum, primum *Rokosz* sub Ludovico Rege ponunt, idque contra fidem antiquorum omnium, sola confisi *descriptione* hujus *motus*, quæ manu scripta circumfertur, cujus auctor juxta atque tempus, quo composita, ignorantur. Saltem antè *PIASECIUM*, probatum alioquin scriptorem, nemo ejus aliquam mentionem iniecit, neque ipse ad alicujus auctoritatem provocat, sed vulgo memorari, ingenuus fatetur (*). Majorem fidem illi habet *KOCHOVIUS* (**), quam perenni traditione fulcit: quæ tamen in obscuro egisse videtur, cum Historicos Sæculorum XIV. XV. & XVI. plane latuerit. Nostra ætate acerrimum propugnatorem egit *KOLUDZKI* (***), quem prostratum ac armis suis exutum, in triumpho duxit, *Perillustri & Reverendiss. Joseph. Andr. ZALUSKI, Regni Referendarius*, qui in *Specimine Histor. Pol. Criticæ*, accurate nec minus erudite docet, totam de *Rokosz* illo, regnante Ludovico, narrationem, meram esse fabulam, cujus rationibus nemo prudens subscribere dubitabit.

An primus *Rokosz* sub Ludovico Rege fuerit.

D

XXXII.

(*) Chron. p. 235.

(**) Annal. Clim. l. p. 373.

(***) Thron Oyczyſty p. 123. f.

§. XXXII.

Rokosz Sigismundi I. tempore, expenditur.

Majori consensu *Rokosz* Sigismundi I. temporibus inferitur, cum evocata in expeditionem adversus Moldavum Nobilitas, sub Leopolim confluxisset. Quid tum actum, nemo fusius, imo melius, *ORICHOVIO* (*) exposuit. Ex illo discimus, congressos Senatum & eqvites extra urbem, ac hos de injuriis, de legibus parum servatis, & quod Senatores oscitantes tractarent Rempublicam, qvestos; dein petiisse, ut communem causam apud Regem agant, medellamqve procurent: Senatorum vero, gravi tempestate turbatam fuisse responsionem, ac in illo discedentium tumultu, visum, ac si nonnulli vim inferre voluissent Senatoribus, hos tamen in urbem rediisse salvos: postea Leopoli inter eundem Senatum & Nobilitatis nuncios instituto colloquio, Cracoviensem Palatinum affirmasse, Regem ad Senatus preces concessisse omnia, quæ concedi potuissent, cætera temporis magis opportuno servata; idem cum dixissent Senatores reliqui, sedatos fuisse animos, sed iterum commotos, cum Regium responsum diversum videretur ab iis, quæ ex Senatorum sermonibus collegissent: Continuos ergo congressus, tandemqve ob minus commodum bellicis rebus tempus, Regem Nobilitati domum redeundi facultatem dedisse; hancqve tum pro eadem, tum quod Rex nonnulla postulata comprobaverit, quædam vero infutura

(*) Toto annali, qui sextus inscribitur, licet temporis ordine, priores præcedat.

tura comitia reiecerit, ingentes egisse gratias. Hæc ex narratione Orichovii repetenda duximus, quod is, ipsa Nobilitatis, Senatorum, & Regis verba recitavit. Nulla autem *Rokofzii*, ut peregrinum hoc vocabulum inflectamus, mentio, nullum adversus Regem & Senatum fœdus, a quo equestris ordo adeo alienus, ut in discessu, Principi suam causam ad futura comitia committeret, ac animorum viriumque conjunctionem laudaret. Tota res e credit. Evocata Nobilitas in bellum, queritur de injuriis, expostulat cum Senatoribus, petit levamen, neque recusat in hostem ire; amovent culpam Senatores, promittunt suum studium; Rex alia negat, alia concedit, alia differt, ac Nobilitatem dimittit; hæc agit gratias, commendat se Principis clementiæ, pro ejus incolumitate vota facit, & discedit. Si hoc dicendum *Rokofz*, si hoc est contra Regem & Senatum insurgere, plurima erunt ejus generis fœdera, quod idem sæpe actum in comitiis, quod Leopoli contigisse memoravimus, ut & exacerbatis animis irrita redderentur consilia. Merito ergo Nobilitatem ad Leopolim, ab ejus modi fœdere absolvimus, sentiendi tamen libertate aliis salva.

§. XXXIII.

In comitiis electionis Regiæ a. 1587. Zboroviani quidem rem ad *Rokofz* deducere conati, verum stitit illorum consilia, Primatis Karnkovii providentia (†). Sub Sigismundo III. tamen, fuit intestinus

In comitiis electionis post Stephani mortem frustra tentatus.

D 2

motus,

Rokofz Sub Sigismundo III.

(†) Piašec. Chron. p. 58.

motus vulgo *Rokofz* dictus, a Lubienficio, qui negotiis ejus temporis adfuit, non uno loco, feditio appellatus (†). Auctor Palatinus Cracoviensis, Nicolaus Zebrzydovius, odio in Regem & suis compendiis, publicam salutem, & ultimum libertatis discrimen obtendens: quibus vocabulis, sui Palatinatus Nobilitatem in partes trahebat, turbatisque per eam comitiis, ipse cum paucis ex equitibus, omnibus Ordinibus Lublinum indicebat conventum, quem alius excepit, evocata ab eodem omni Nobilitate ad *Rokofz*. Ingens tum multitudo centum millia æquare dicta, confluere, multi tamen ad Regem cum proceribus se conferre, hosque exercitus sequi. Qui ad *Rokofz* congressi, magna ex parte dilabebantur, cum Palatini artes intelligerent, & cæteri curam rerum delegatis mandabant; contra qui penes Regem, Senatores & equites, Majestati fidem addicebant. Decretum postea armis compefcere, quos rationes, imo amicorum preces, flectere haud poterant, quo effectum, ut Palatinus Cracoviensis, & Johannes Radzivil, Rokofzianorum Marefchallus, Regi supplices facti, militesque quos ducebant culpæ veniam peterent & impetrarent. Non tamen ideo cum suo Palatino quiescere factio, sed eodem tempore, quamvis minori numero Andreioviæ conventum agere, quo Rex cum Ordinibus comitia celebrabat, ac eo temeritatis processit tandem, ut Regi Regnum abrogaret. At Princeps, quem Proceres & præter paucos

(†) In libris quos de motu hoc civili scripsit, & qui in ejus operibus habentur.

paucos illos, Nobilitas non deferebant, hostes patriæ judicat, qui Majestatem violare ausi, & armis, post unam cladem, ad obsequium redigit.

§. XXXIV.

Hæc notæ illius Sigismundo III. regnante, secessionis series, quam *Rokoszii* vocabulo, tanquam honestiori, involvere placuit. Nullum hic universæ Nobilitatis adversus Regem & Senatores foedus, cum ea ipsa Nobilitas, quæ ex Palatini Cracoviensis mente convenerat, cum eodem expostularet, præsentem rerum statum, ac Regis imperium salvum vellet, ac præter factionis conscios, aut imprudentes, dilaberetur. Nec minus Nobilitas cum Rege & Senatoribus, in Comitibus de sedandis, quas excitaverat Palatinus, turbis consultabat, agente eodem tempore, cum suis affectis, adversus omnes Ordines conventum Palatino. Tandem ipsum decretum, quo Nobilitatis consensu, Palatinus & socii facinoris, hostes patriæ judicati, aperte probat, diversam Nobilitatis & Palatini fuisse causam. Et patuit illa libertas, quam quasi desertam, pro singulari in Patriam pietate, tuendam suscepit vindex ille, cum eo auctore, duo Senatores, & parva Nobilium manus, quam Palatini & Radzivillii, Litvaniæ pincernæ, quam Palatini & Radzivillii, Litvaniæ pincernæ, clientes, numerosiorem reddiderant, Regem imperio exuere, nefario auso non vererentur (†): per Principis latus ipsam libertatem petentes, hanc ad suum ingenium formaturi, si Majestas corruisset.

Utrum hæc
ipfi conveniat
nomen.

D 3

§. XXXV.

(†) Lubienſcius de motu civili L. III. Operum p. 122.

§. XXXV.

Rokofz post
Augusti II. e-
lectionem,

Unus superest sic dictus *Rokofz*, ab iis institutus, qui electo in Regem AUGUSTO II, a Principe de *Conti*, cui addicti fuerant, destitutos se videbant, & quod sua consilia minus successerant, libertatem periclitari, credi volebant. At neque huic foederi *Rokofzii* vocabulum convenire, palam est. Non enim juncta Nobilitas adversus Regem & Senatum, sed ex Senatorio & equestri ordine illi, qui novo Regi adversi, Eidem se submittere, nondum e re sua esse credebant. Ad hoc nullum occurrebat contra Regem non coronatum *Rokofzii* exemplum, & sacrum AUGUSTI caput diademate nondum fuerat cinctum. Denique causa *Rokofzii*, læsa graviter a Principe, Senatu oscitante, libertas venditari solet: at qui potuit lædi libertas, a Rege imperium ne quidem ingresso. Sed dissolvit vinculum AUGUSTI clementia & liberalitas, & placatis assertoribus, cessavit de imminutis juribus querela. Cujus rei illustre documentum, Celsissimus quondam Princeps & Episcopus Varmienfis, ZALUSKI, servavit (†).

§. XXXVI.

Eximitur con-
foederationi-
bus Rokofz.

Cum ergo memorata exempla, *Rokofzii* nomen præferunt, præter ea, alia non existant, illa vero minime continent, quæ ad naturam talis foederis referuntur, non aberrare videmur, si revera dari *Rokofz* negamus: quem ideo ex recepta opinione supra

(†) Epistol. T. II. p. 518. 519.

pra ad confœderationum species retulimus, ut inquirendi in eum fieret copia. Et aliquam apud Polonam gentem inituros credimus gratiam, quod ejus nomini abstergimus maculam, quasi aliquando tota Nobilitas adversus Principem insurrexisset; quasi Senatus ob neglectam Rempublicam, incusso ex fœdere metu, ad officium revocari debuisset; ac immotis ad preces civium Regibus, fortiori remedio ad sananda vulnera utendum fuisset.

§. XXXVII.

Venimus ad confœderationes nonnullorum Palatinatum. Non tamen de iis sermonem instituemus, quæ fiunt in singulis Palatinatibus, eo consilio, ut in generalem coeant, utque ex diversis membris, unum fiat corpus. Verum de iis saltem agendum, quæ particulares quamvis, per se subsistere, imo generales videri volunt. AUGUSTI II. Regnum, ut nova & insolita alia, sic & talem confœderationem vidit, multarum magnarumque calamitatum fontem. Est illa Varsaviensis, a loco sic dicta, ubi Februario mense anni 1704. infausto omine, auspiciis Primatis, Cardinalis Radzeiovii, a nonnullis ex majori Polonia, Senatorii & Equestris ordinis, in lucem prolata. Victor aliquot præliis Sveciæ Rex Carolus XII, non aliam volebat pacem, nisi Rege Augusto II. amoto. Hoc consilium sive Ipse ceperat, sive ab aliis suggestum, placebat iis, qui ob averfam voluntatem, Principem ad extrema adigi, ac divelli a Republica optabant. Commodabat suam auctoritatem

Varsaviensis
confœderatio
imperante Au-
gusto II.

Quomodo
constata.

tem Primas, tentabatque in communem operam, Poloniam majorem, quod ibi ob amicos clientesque plurimum polleret. Juncti jam erant in illa Regni parte Palatinatus, constituturi cum cæteris, generalem pro Regia Majestate confœderationem. His persvadebat, ut suos Varsaviam mitterent, qui tanquam medii, Reipublicæ nomine, de componenda inter Reges belligerantes pace agerent. Veniebant inde Varsaviam ex dicta majore Polonia, Senatores aliquot, & nobilitatis nuncii, non alio mandato, nisi ut pacem procurare conarentur, missi. At non erat animus Primati extinguere incendium, sed novas faeces subdere, cum confœderationem fabricaret, adeo Regi adversam, ut Eundem Regno excidisse decerneret, sanciretque alia, æque iniqua & invalida, quod præter fidem, societatis humanæ vinculum, leges totaque Respublica intercederent.

§. XXXVIII.

Falso generalis dicitur.

Sic coaluit confœderatio Varsaviensis, quæ generalis titulum præfert, licet præter Primatem, unus tantum Episcopus, tres Palatini, octo Castellani, & viginti tres Nuncii, nullo tamen ad id mandato instructi, ex Terris majoris Poloniæ omnes, si unum Castellanium Cracoviensem excipias, subscripserint. Et Castellanus Cracoviensis, ad Rempublicam rediit, ut Sandomiriensi confœderationi suum addere nomen potuerit, simul omne illud, quod contra Regem Varsaviæ patratum, publicis litteris de-

testa-

testatus (*). Palatinus vero Brestensis in Cujavia, invitum se Varsoviæ adfuisse, fidem fecit Sendomiriensi confœderationi, ab eadem eo nomine absolutus (**). Imo major Polonia graviter ferens, abusos nuncios potestate, quidquid ab iis actum, irritum declarabat, ac cæteris Ordinibus, accedendo Sendomiriensi confœderationi, se jungebat.

§. XXXIX.

Non est nostrum, *Varsoviensem* confœderationem sub examen vocare, cum Reipublicæ decreto, per Sendomiriensem damnata, in qua *Varsoviensis conjuratio*, quæ ibidem acta *actus criminosi* dicuntur, & illi addicti hostes patriæ, nisi intra dies quatuordecim ab ea recesserint, judicantur. Illi tamen innitebantur, quæ postea adversus Optimum Principem fiebant, acerba utique, & ab unius AUGUSTI animo superanda. Ingens ergo inter *Varsoviensem & Sendomiriensem* confœderationem discrimen: *illa* a paucis Senatoribus ac Nobilitatis nunciis, idonea potestate destitutis, *hæc* ab omnibus Ordinibus, data ab equestri ordine suis in hanc rem facultate, inita; *illi* triginta circiter ex Majoris tantum Poloniæ terris, & ne quidem omnibus, huic totum Poloniæ Regnum, Litvania, junctæque iis Provinciæ, nomina adscripserunt; *illa* Regni Majestatem

De eadem Sendomiriensis Confœderationis judicium.

Inter hæc & Varsoviensem discrimen.

(*) Memoires sur les dernieres revolutions de la Pologne p. 186.

(**) Confed. Sandom. p. 17.

tem tollit, *hæc* firmat; *illa* externi Principis arbitrio libertatem, leges & ipsam submittit patriam, *hæc* arma parat, & extrema subire parata, ut libertas, ut leges, ut patria servetur integra; *illa* intestinæ discordiæ causa, *hæc* animorum vinculum indissolubile; per *hanc* denique stetit Respublica, cui *illa* exequias instruere videbatur.

§. XL.

Confederati-
ones militum.

Superfunt militares confœderationes. De quibus tenendum, duplici modo jungi inter se vinculo milites, five eum in finem, ut communem cum fœderatis Ordinibus tueantur causam, & tum iisdem accedunt, partemqve generalis confœderationis constituent: five in suam rem, ut stipendia, quæ debentur, obtineant. Priorem omitimus, quod de generali confœderatione dictum satis; de posteriori aliqua in medium proferemus.

§. XLI.

Quæ causa.

Cum olim militibus stipendia provisa non erant, sed pecunia pro iis in comitiis decerni debebat; sæpe accidit, ut vel ob rupta comitia, vel aliam causam, nulla imperarentur tributa, & miles careret stipendio. Id interdum per aliquot annos negligi, indeqve debitum in multa centena millia excrecere. Miles impatiens moræ, ad hoc egestate pressus, circumspiciebat rationem, qua reciperet tandem, quod promeritum, aliquoties, & frustra, petierat. Hæc confœde-

In quo consistant.

fœderationis causa, qua exercitus novo inter se con-
 stricti vinculo, Ducibus renunciato obsequio, ipsi sibi
 consulunt; Marefchallum, cui consilium addunt, præ-
 ficiunt; leges sanciant, & quasi militarem Rem-
 publicam in ipsa Republica formant; locatis intra
 Regnum castris, annonam & pecuniam imperant;
 ac non raro in sua patria, veluti in hostico, agunt.
 Ejusmodi confœderationes, Sigismundi III. Johan-
 nis Casimiri, & post Johannis III. mortem, inter-
 regni tempore, admodum afflixerunt turbaruntque
 Rempublicam: quare eadem Regi & Ordinibus sem-
 per invisæ fuerunt, ut licentiam severissimis legi-
 bus coercere sæpius conarentur; quæ inanes habitæ,
 quod iterum iterumque ad malos mores reditum. Anno
 1601. confœderationes hæ capitis & famæ pœna in-
 terdictæ (*); simul redigendas in fiscum facultates,
 anno 1609. additum (**). Intendit rigorem legis
 constitutio anni 1623. quæ, „si non alio modo cohi-
 „hiberi poterunt confœderati, Regi facultatem con-
 „cedit, vocatis certis Senatoribus & nonnullis ex
 „equestri ordine, illos hostes patriæ, *bannitos* & in-
 „infames declarandi, ac ne quidem expectatis
 „comitiis veluti tales puniendi & plane delendi: si-
 „mul injungitur Ducibus, adversus eos in aciem
 „prodire, & si copiæ ab iis hunc in finem contractæ
 „non sufficerent, ipse Rex, evocata tota Nobilitate,
 „in eos moveret. Qui confœderatum occisuri, iis
 „præter impunitatem, occisi bona in præmium ad-
 E 2 dicun-

Pœna in eas
constitutæ.

(*) Vol. Constit. p. 732. tit. Declaratio.

(**) Vol. Constit. p. 891.

„ dicuntur; parentes jubentur, filios suos a confœderatione
 „ ratione avocare; ipsi fœderati, ab hereditatibus,
 „ dignitatibus ac publicis muneribus excluduntur, ac
 „ olim in eos constitutæ poenæ repetuntur (*), „ Hæ &
 „ similes légès, nova constitutione a. 1667. firmatæ, hoc
 „ adjecto, „ confœderatos eorum fautores & conscios
 „ ad nullum in posterum amnestiam admittendos,
 „ & si qua ab iis impetrata, pro nulla habendam,
 „ sed eos vita, honore, bonisque omnibus, sine ulla
 „ factorum venia, multandos esse (**), „ Denique
 „ pacificatio Varsaviensis sub rigore poenarum su-
 „ periorum, confœderationes militares omnes prohi-
 „ bet (***) . In confœderationum militarium Mare-
 „ schallos & consiliarios Constit. a. 1699, sigillatim sanxit,
 „ ut infames & capita *invindicabilia* habeantur, & qui
 „ talem occideret, si Nobilis, primum *vacans*, si
 „ plebejæ conditionis, equestrem dignitatem re-
 „ cipiat (†).

§. XLII.

Providentia
 Augusti II.

Fuit ergo militaris confœderatio, omni tem-
 pore pro crimine habita, severe & ultimo supplicio vin-
 dicando: non tamen omnis culpa in milite, erat
 & Ordinum aliqva, quod in conferenda pecunia
 minus promti, tardabant stipendia, quæ miles labori-
 bus & sanguine promeruerat. Vitavit hunc ca-
 sum, ut omnium, sic & exercituum Pater, Au-
 gustus

(*) Constit. dicti anni p. 5. tit. O Zábiezniu Confœderacyey.

(**) Constit. illius anni, tit. Amnystia generálna p. 2.

(***) Art. 3. §. 4. Constit. a. 1717. p. 18.

(†) Tit. O Marszałku Związkowym.

gustus II. proviso certo stipendio, stato tempore, sine ulla mora & dilatione, numerando (†).

§. XLIII.

Hæc in præsens de confœderationibus Polonorum sufficiant: id tantum addendum, verba pacificationis Varfaviensis anni 1716, quibus regressus ad novas confœderationes, sub quocunqve prætextu vel titulo interdicitur (*), non ita esse explicanda, acsi nullo unquam tempore fieri debeant; hæc enim Pacificatorum mens, neque erat, neque esse poterat. Per Principum enim mortalitatem, interregna tollere haud licet, & horum tempore, non nisi illo vinculo, continentur Ordines, quod quam necessarium sit, suo loco demonstravimus. Rege vero vivente, Majestas cum libertate in tantum devenire potest discrimen, ut utraqve, non nisi extraordinario confœderationis remedio servari possit. Sed id vult pacificatio, ne quis, compositis jam domi rebus, ex vana causa, populum confœderationis vocabulo, adversus Regem & Rempublicam in turbas concitet. DEUS qui reddendo AUGUSTUM, afflictam & fessam respexit Poloniam, annuat voto, ut nulla, nisi post annos PRINCIPIS quam serissimos, sola interregni necessitate, Ordinum sequatur confœderatio!

Objectio contra generales confœderationes, ex Varfaviensi pacificatione.

Votum!

(†) Pacificat. a. 1716. art. 3. §. 3. Constit. a. 1717. p. 17. & p. 53. tit. Regulamen.

(*) Artic. 3. §. 1. Const. c. p. 15.



Die Wissenschaft, mein Freund, die jetzt Dein Mund erzählt,
Ist zwar entfernt von der, die Deine Absicht wählt;
Doch, übt sich so Dein Fleiß in klugen Neben-Dingen,
Wie hoch wird er es nicht im wahren Zwecke bringen.

Dis wünschet und prophereyete dem Herrn
Respondenten, seinem aufrichtigen Freunde

Scathanael Friedrich Krauß /
von Danzig. Oppon.

Dein Mund, gelahrter Freund, zeigt Deines Geistes Gaben,
Der wahrlich nicht gemein, nein! weit erhaben ist,
Du streitest vor Polens Bund, den keines Feindes List
Noch Feuer, Glut und Schwerdt bisher zertrennet haben;
Geht so des Himmels Gunst mit Dir ein Bündniß ein,
So wird auch Glück und Ehr zu Deiner Seiten seyn.

Johann Leonhard Wolff /
von Conitz aus Preußen. Opp.

Der Polen Bündnisse und ihre Gültigkeit
Bertheidigt heut Dein Mund mit auserlesnen Gründen,
So müssen Ehr und Glück sich mit der künftigen Zeit
Mein Freund, zu Deinem Heyl nach meinem Wunsch verbinden,

Johann Carl Schubert /
von Danzig. Opp.

